



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Vtrum placuerit viris sanctis quod Christus moreretur, & pateretur. D

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



*Vtrum placuerit viris bonis quod Christus pateretur & moreretur: placuit quidem intuitu nostræ redemptionis, sed non ipsius cruciatus.*

EX quo soluitur questio qua quæri solet, vtrum viris sanctis placere debuerit quod Christus pateretur, vel occideretur. Debuit n. eis placere intuitu nostræ redemptionis, sed non intuitu ipsius cruciatus. Voluerunt ergo ac vehementer cupierunt Christum mori propter liberationem hominis & impletionem diuinæ voluntatis: sed nõ voluerunt delectatione ipsius afflictionis. De eodem ergo lætabantur & tristabantur: sed ob aliud gaudebant, & propter aliud dolebant. Volebant ergo Christum mori pro hominis redemptione: & tamẽ de morte ipsius diuersis de causis corda eorum variè monebantur.

*Quomodo sentiendum sit de passionibus sanctorum, an velle, an nolle debeamus.*

SI vero quæritur, vtrum eodẽ modo sentiendum sit de passionibus & martyriis sanctorum. Dicim? aliquã esse differentiam inter passionem capitis & mēbrorum. Christi namq; passio causa est nostræ salutis, q̄ non est passio alicuius sancti. Nulli enim passione redempti sumus nisi Christi. profuerunt quidem non modo eis qui passi sunt, verum etiã aliis fidelibus ipsorum passiones, verum tamẽ nostra redẽptio non sunt: hoc enim passio illius sola potuit qui Deus est & homo. Illius ergo passionem credentium piæ mentes voluerunt, & optauerunt fieri, sicut futurum credebãt: passiones vero sanctorum possum? velle & nolle: vtrunq; bona voluntate, si rectos nobis proponam? fines. Cui enim placuit Pauli passio eo fine, quia p̄miũ eius per hoc auctum & paratum cernebat: bonam videtur habuisse voluntatẽ, q̄ voluntati eius congru-